

Joachim Crell   Reinholdus Reimarus

## **Disputatio Philosophica De Natura Metaphysicae**

Rostochii: Kilius, 1641

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729603636>**

Druck   Freier  Zugang




R. U. phil 1641

Joachim Crellius

Rinhold Reimarus





75<sup>c</sup>  
IN NOMINE JESU  
Disputatio Philosophica,  
DE ~~III.~~  
NATURA META-  
PHYSICÆ,

QVAM

*Assistente Divinâ Spiritus Sancti Gratia*

Consensu Amplissimæ & Nobilissimæ  
Facultatis Philosophicæ

*In florentissima Ros Urbina Balticâ,*

Publico Eruditorum examini submittent.

M. JOACHIMUS CRELLIUS

Rugianus,

ET

REINHOLDUS REIMARUS,

Tunderâ Holsatus, Illustrisfimi Holsato-  
rum Ducis Alumnus,

*In Auditorio Majori, ad diem 17. Julii, horis antemerid.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII Acad. Typogr.

Anno era vulgata MDCCXXI.





## JUVA CHRIS TE!

**M**aturam Metaphysicæ strictim delineaturi; Prælo Naturæ vocabulum, suffragante omnium Philosophorum quium. calculo laxè accipimus, prout Essentiæ explicationem infert. Essentiam autem Definitio & Divisio evoluta exhauriunt: nam hac duo quodcunque ad Essentialia rei spectat eventitant: Illa Constituentia & Consequentia nonnunquam; seu quod idem est causas & proprietates expedit; Hac contrahentia seu species vel partes enucleat. Ultramque sub distinctis capitibus illustrabimus, quorum alterum Definitionis ideam manifestabit; alterum Divisionis membra propalabit. Definitionem rursum, quia integram propositionem sistit, ut accuratius libremus, in suas resolvemus partes; easq; sub duplici membro contemplabimur: In altero subiectum seu Definitum; altero verò Prædicatum seu Definitionem ipsam penitus enodaturi. Subiectum verò, quia diversis iterum questionibus satisfieri postulat, sub duobus Articulis exhibebimus, quorū alter Existentiæ Metaphysicæ venabitur; alter Nomenclaturam ejusdem indigetabit. Hanc Methodum certis punctis & paragraphis connexam, & in genere ab aliis adornatam ac præscriptam, quod concinniorem nondum videamus, sectabimur; Rem verò tractandam distinctius & exquisitius (quod DEUS ter Opt. Max. fortunet, & in nominis sui gloriam unicè dirigat) secundum eam proponere annitemur.

### Caput I. Membrum I. Articulus I.

## De Existentiæ Metaphysicæ. An detur?

§. I.

**H**anc rem in forma quæstionis propositam, ut penitus in *Punctus* tueamur, *Terminos* primum evolere juvat. I. Termi-  
 §. 2. Vox (*detur*) per se aliàs nota est, in præsentī tamen ad duos nos *evol-*  
 modos seu acceptiones limitari potest, ut sensus quæstionis emer-  
 gat duplex: 1. An detur absolute & in se? h. e. an existat in rerum na-  
 tura id de quo quæritur? 2. An detur relatè ad mentem? hoc est, an

A 2

fi ex-

si existat sit cognoscibile, & quomodo? an ut Disciplinam integret, seu partem ejus constituat? vel an objectum Disciplinæ adæquet, seu principium ejus aut Affectionem aut Speciem partialiter subministrat?

§. 3. Per *Metaphysicam*, quia certi quid nondum cognitâ Essentiâ supponere non possumus, confuse hîc intelligimus. 1. *Aliquid* quod *reale* sit, ut voci substat conceptus non fictus, sed ex natura haustus. 2. *Aliquid* quod *distinctum* sit ab aliis *cognoscibile*. 3. *Aliquid* quod *supra Physicam* scibile sit, & 4. id quod Autores magni sub vulgato *Metaphysices* nomine venditant.

§. 4. *Sensus* ergo *questionis* evolutus id quærit, 1. An existat id quod *Metaphysica* peculiari nomine nuncupatur? 2. An id, & quo ordine ad disciplinam referatur? *Primus* inquit in *Entitatem*, *posterius* excutit ejus *Cognoscibilitatem*.

Punctus  
secundus  
Historiam  
nectit.

§. 5. Statu *questionis* ita formato, *Historiam* ejus (quam cum bonâ pace *Philosophorum* ita mihi appellitare liceat) *nectere* proficuum erit. Illa enim, præterquam quod mentem de omnibus *questionem* attinentibus certiores reddit, *fundamenta* decidendarum, si quæ sint, *controversiarum* suppeditat.

§. 6. *Aristoteles* enim magnum illud politioris *literaturæ* decus & colamen primus invenit & conscripsit libros *περὶ τῆς Φυσικῆς*. *Animadverterat* enim malè à *Platonicis* confundi *Instrumentalia* cum *realibus*, (quod alibi ostendimus) hinc seorsim proponenda dijudicavit.

§. 7. Ab hoc hauserunt *superiorum seculorum Philosophi*, illi præsertim, quos *Scholasticos* alias vocant *Doctores*. Hi ingentibus sæpe voluminibus in libros dictos sunt commentati, verùm quod dolendum, in vanas & inutiles subtilitates pleraque converterunt, otiosis & odiosis *quæstiunculis* textum sæpe obscurarunt, adeoq; pro nucleo & nervo rerum mera nobis *putamina* quandoque obruserunt.

§. 8. Hinc avitâ ætate *Melanchthon* negligere, & *Ramicola* planè negare cœperunt: *fundamento* istius hoc posito, quod nullâ inde utilitatē in vitâ communē redundare persen viscerent, quæ non per *disertationes Logicas* se exsereret. Ad hanc præconceptam *opinionem* tuendâ deinde alii rationes, ut fit, in subsidium vocarunt, quibus contra jam illucescentem *veritatem* se armarent.

§. 9. Hisce

§ 9. Hisce, ut & aliis subinde repullulantibus Hydræ Lernææ capitibus, pro veritate adstruenda masculè se opposuerunt, & molimina illorum validè infregerunt Viri, quorum Fama exinde jam Judum immortalitati sacra est. Et ab eo *Affirmativam*, veritatis convicti tenemus ferme omnes.

§ 10. Hanc *Affirmativam* ne gratis asseruisse videamur, nec *Punctum* aliquis lividus Veritatis osor & rosor per rationes adversantium *tertius Ver-* nobis vicissim eripiat, ex *fundamentis stabilire* operæ pretium puritatem to, quod ut *convenientiori* fiat *Methodo*, præmittere placet certa *eruit*. quædam *ἀντίθετα*, quibus innitantur & unde deducantur ad nostrum asseritum spectantia.

§ 11. (1.) *Omne cognoscibile determinatum est vel Theoreticum vel Practicum*. h. e. quicquid cognosci potest de certo quodam scibili, illud vel in cognitione nuda subsistit, vel ultra cognitionem ad operandum pergit. *Αντίθετα absolute.*

§ 12. (2.) *Quæ uno & eodem cognoscendi modo mentem subeunt, illæ ad unum commune Objectum cognoscendi revocantur.*

§ 13. (3.) *Quæ sub eodem cognoscendi modo diversimodè mentem perficiunt, diversimodè procedendo, illa constituunt diversos Habitus.*

§ 14. (4.) *Quæ Objectum exhibent prægnans, illa Disciplinam integrare possunt.*

§ 15. (1.) Si datur Metaphysica, erit aliquod determinatum & re *Αντίθετα* strictum cognoscibile, quia non offert rationem cognoscendi in se, sed *re hypotheticam* aliquam, quæ cognosci debet, tractat. *thetica.*

§ 16. (2.) Si datur Metaphysica, erit quoddam Theoreticum ex *Nomine*, quia perit tractat illa, quæ sunt supra *Physicam* per *Abstractionem*, atqui illa non sunt in nostra potestate, adeòq; nec *Practica*.

§ 17. Ex hisce liquet pro indaganda Metaphysica existentiâ, scrutanda esse *Entia*, & quidem in classe *Theoreticorum* constituta, unde si erui queat, Existentiâ absoluta amplius in dubium vocari nequit. Ulterius si observabitur erutum mentem diverso processu perficere, & modo considerandi prægnanti armatum esse, nec *Relata* Existentiâ negotium facescet.

§ 18. Hoc Scrutinio prævio invenimus dari in *Theoreticis* restrictè cognoscendis, quod nec *Intelligibile*, nec *scibile* sit. Voces istas *strictè*, & in *significatu Philosophico* hic capimus, prout

prout illa importat res, quæ per nudam assensum absq; medio in-  
 telliguntur: Hæc verò designat illas, quæ per causas seu ratio-  
 nes inferentes à priori demonstrantur. Illa cognoscendi Principia  
 prima ex Rerum affinitate orta connectit: Hæc conclusiones parti-  
 culares ex principiis antè cognitis infert. Inter hæc igitur sub eo-  
 dem cognoscendi modo mediat aliquid, quod diversimodè procedit,  
 & applicationis virtutem inter utrumq; exserit, quando vel conclusio-  
 nes Inferiorum retro ad Principia prima revocat; vel ex Principiis  
 primis alia particulariora deducit, quæ conclusionum in Inferiori-  
 bus causam inferentem exhibere queant. Cùm enim Scibile Demon-  
 strationem requirat, quæ non est ex ignotis, sed ex prioribus & notio-  
 ribus; Nec tamen ad Intelligibile immediatè adscendere auit, hinc  
 dari necessum est, quod ex Principiis primis illa nota & evidentiared-  
 dat, quæ aliàs ignota forent, inq; inferiorum conclusiones capitū in-  
 digas statuminet. Hoc ipsum aliàs ob penuriam quâ premimur-  
 vocum ex Analogia Sapibile nuncupavimus

§. 19. Sapibile illud autem quid sit definitivè, ut plenius inno-  
 tescat, notandum, quod à ratione cognoscendi ita denominetur for-  
 maliter, at quale materiale in re præsupponat in quo radicetur,  
 erui potest. 1. Ex Nomine Metaphysicæ quod Res Physicam exce-  
 dentes insinuat. 2. Ex denominante Formâ: dicitur enim circa quod  
 Sapientia se exserit, quæ rerum præstantissimarum ex amplitudine,  
 & difficillimarum ex Abstractione finitur. 3. Ex habitudine dictâ,  
 quâ Scibili superius est, hincq; res Universaliores & Abstractiores  
 proponit. Et Intelligibili inferius, unde res magis restrictas scruta-  
 bitur. Atqui tales, quibus hæc competunt *νοῦς ἁπλοῦς*, ne fingi  
 quidem possunt aliæ præter summum Entis conceptum, quæq; cum  
 ipso comproducentur. Unde consequitur Sapibile vi vocis occupari  
 circa Ens & quæ illi immediatè insunt & subsunt, idq; eo cognoscen-  
 di modo, quem Sapientia requirit.

§. 20. Ex dictis igitur quum dari in re constet, *νοῦς* seu Cogno-  
 scibile esse quivis agnoscit, nam Intellectus noster dum vel nudè  
 collustrat rem, eo ipso docet esse cognoscibilem.

§. 21. Cognoscibile autem illud partiale non erit, ut ad Modum  
 Principij, Affectionis vel speciei in aliqua Disciplinarum tractetur,  
 sed Totale, ut peculiarem Disciplinam integret, quia distinctū est ab  
 illa,

illis, cum quibus sub eodem cognoscendi Modo ad mentem defertur, vel alias convenientiam alere creditur, quod ex iis quæ hæcenus eruta sunt, satis evidentè ostendi potest. Et quidem

§. 22. (1) *A Modo diverso procedendi.* Modus ille, velut constat ex tertio Postulato limitat & distinguit *Habitus*, ac consequenter *Disciplinas in Theoreticū*. Is ubi *diversus* est, *diversa postulabit Principia, diversa attributa, diversa contrahentia*, quæ sunt *Disciplinæ* totalis requisita. Dari hîc autè *diversū processū*, qui nostro competat cognoscibili superius adumbravimus: *Intelligentiæ* enim *vi inductionis* evidentiam suis conciliat Principiis; & in iis subsistit. *Scientiæ* verò *vi ostensiva Demonstrationis* suas per discursū inferunt Conclusiones; & à præcognitis ordiuntur. Hoc autè *Cognoscibile vi contradictionis* propriè suâ animat axiomata, quando *negantem ad contradictionem & absurdū deducit*, Conclusiones retro revocando ad Principia prima, adeoq; *Principia prima cum conclusionibus particularioribus per intermedia Principia connectendo*.

§. 23. (2) *Ab Objecto distincto pregnantî.* Objectum dat mensuram *Disciplina* Hoc autem præsupponit *Modus procedendi diversus*: nam ille in non-Ente non occupabitur, quare Objectum illi substratum esse necessatio sequitur, quod *Ens* esse *Universalissimum*, quæq; illud sequuntur, modò ostendimus. Hoc ab Affinibus *Disciplinis* distinctum est, si non *realiter & materialiter*, saltem *formaliter*, si non *secundum rem consideratam*, saltem *secundum proprium considerandi modum*. A *Theoreticis Habitibus & Disciplinis reliquis* ut distinguatur §. 22. edocuit. A *Logica* verò quomodo sequestretur adhuc dicendum erit. *Logica* enim pertrahat *Intentionalia*, quæ sc. *ex operatione mentis primùm exsurgunt*, eaq; *Instrumentalia*, quæ nisi applicentur non sunt. Hoc autem *cognoscibile reale* quid est, quod ante operationem mentis in re existit, indeq; *citra applicationem menti se representat*, unde *Logici* quoq; *Territorii*, quod maximè amplectuntur *Ramifera*, non erit, quia *Intentionalia* cum *Realibus*, *Instrumentalia* cum *Principalibus* in unum compingere Objectum: *formaliter consideratum* planè à τὸν est. *Objectum* illud distinctum quoq; *pregnans* est: *Non-dum* enim sufficit, quod *Objectum formale novum* detur, sed requiritur, ut *sub isto formali nova accedant Principia, Attributa, Species*. *Ista* hîc dari evincit *diversus procedendi Modus*. Quippe dantur  
quasi

quasi species. Substantia & Accidens. Hæc quia Physicam transce-  
dunt, ideoq; ob generalitatem nusquam alibi tractari possunt, huc  
pertinent. Hæc communia admittunt prædicata, qualia sunt *Unum*,  
*Verum*, *Bonum* &c. quæ igitur Attributorum vicem sustinebunt. Il-  
la si quis neget competere q. speciebus, accersit *Principia*, si non  
*Objecti*, saltem *Affectio-num*, si non *propria*, saltem *aliunde desumpta*,  
iisq; sapienter Veritatem immotam stabilit.

§. 24. (3) *Ab Officio ex Indigentia Scientiarum orto. Scientie*  
sunt indigæ, & ex se caput moraliter non habent, nam non possunt  
sibi ipsis *Objecta præfinire & principia constituere*, quæ duo capitis  
instar sunt, unde Demonstrationes scientificè dependent, ideoq;  
nota & præcognita esse debent. Expetunt opem & operam alicujus  
*Directrici*, quæ indigentiam sublevet, & caput ipsis constituat,  
tum objecta præscribendo, tum principia statuminando, quæ de-  
inde Scientiæ tanquam nota assumere, & ulterius suas conclusio-  
nes inde probare possint.

§. 25. Sic igitur enodatâ etjam *Exsistentiâ Relatâ, Rationibus*  
*adversantium Ramarum* occurrendum esset, non enim parvi fa-  
cimus, quas ex parte urserunt hactenus, & urgere etjam nunc pos-  
sunt. Id faciant quibus vel per elevationem responderi volupe  
est, & de non lectis sapere, imò nec intellectis iudicium suum inter-  
ponere animo sedet. Nos quædam non esse de nihilo rati, iis sa-  
tisfaciendum omnino arbitramur, verùm quia brevitati studere  
necessum habemus, publico conflictui ea reservabimus.

## ARTICULUS II.

### De Nomenclaturâ Metaphysicâ

Connexio.

§. 26. Existentiâ jam superatâ pergimus ad alteram hujus  
*Membri particulam*, quæ *Nomenclaturam* ponderat. Cum enim  
hactenus ostensum, non modo *dari Metaphysicam*, sed etjam pe-  
culiarem *absolvere disciplinam*, non inmeritò sumus solliciti de  
ejusdem *genuino nomine* quo insigniri meretur, investigantes an  
hoc ipsum *Metaphysicæ nomen* Naturam ejus sufficienter exprimat,  
seu verò *aliud convenientius* erui queat?

Punctus 1.  
Nomen  
explicat.

§. 27. Per *Nomenclaturam* hîc non intelligimus *omnimodam*  
*Nominis evolutionem*, quâ *Etymon* excutimus, alienas acceptiones  
rejici-

rejecimus, terminos æquipollentes aggerimus, & ut à cognatis ac Affinibus differat, ostendimus. Ut enim omnia hæc sub initium latè deducere communi usu recepta Methodus jubet; ita tamen hoc labore nos superfedere commodè jam possumus, partim quia in nomine non occurrit quod difficultatem sapiat: nam omnes Autores in eo explicando fermè conveniunt, partim quòd ab aliis abundè satis id præstitum sit, ideoq; nostram opellam non requirat. Interim ubi exigit usus, ut ad Essentiam rectius imbibendam Postulatorum loco nonnulla supponantur, ex aliorum receptis explicationibus illa resumere nobis Legem non figimus. At verò *intelligimus genuinam Discipline denominationem seu appellationem, quam hoc articulo investigare placet.*

§. 28. *Aristoteles*, qui, quod scimus, *μετὰ τὴν Φυσικὴν* primus *Punctus* in unum corpus rededit, illi tamen Nomen peculiare non addidit. *Secundus* Qui ipsum sunt secuti, *Metaphysicam* vocarunt, vocibus junctim *Historiam* sumtis, quibus ille periphraстикè descripserat. Hoc Nomen civitate *evolvit* re donatum hodiernum obtinet. Et desumptum est *ab ordine ad res Physicas extrinseco*, quia proponit illa quæ Naturalia transcendunt abstractione; vel quia post *Physicam* exculca ac tradenda sit doctrinà & cognitione.

§. 29. *Nomina* quæ imponuntur rebus, quantum fieri potest, *Punctus* desumenda sunt *ab illis, quæ sunt Essentialia rei*. Hoc adeò certum, *tertius Veritatem* ut a nemine in dubium vocetur.

§. 30. *Ais* verò, id nec in omnibus observari, nec observari *adstruit*. semper posse: quippe *Pecunia* dicitur à *Pecus*, cujus imagine olim insigniebatur, at hoc non est essentialia rei: sic & in alijs.

§. 31. Respondemus, *rerum diversitatem* esse in causâ. Sunt enim alia, quæ *Natura* suppeditat; alia, quæ *manus Artificum* elaborat; alia, quæ *Inventorum solertia ad mentem perficiendam* investigat. In illis quæ sunt *Universalis*, & jam olim suâ denominatione gaudent, pleraq; *ab Essentia* desumpta sunt. Si quæ verò *Essentiam* minùs commodè exprimunt, inde fieri puto, quòd *partim* *Essentiam* in his non penitemus, *partim* penuriâ vocum laboremus, *unde hæc temere mutanda non suaferim, quia commodioribus permutare non licet*. Quæ verò sunt *Singularia*, iisq; recens imponenda nomina, *ab Accidentibus propriis* desumi ea necessum est, quia per *Essentiam* non distinguuntur ab alijs suæ

B

speciei

speciei Individuis, sed *Accidentibus tantum*. Ista verò, *Artificialia* scilicet, citra Incommodum à *Formâ & usu* denominantur, quia hæc sufficienter distinguunt ab alijs, & huc etiam pertinet *Pecunia &c.* At hæc quæ ex Inventione oriuntur, quia *Essentialiter inhaerent menti, & in cognitione sui illam perficere debent, necessariò denominantur ab Essentialibus, ut conceptus rei, vox conceptui respondeat*: nam si vox à conceptu dissonet, quomodo menti Resisteret, & cognitione ejus illam perficeret? Illic ergo eâ accuratatione non opus, quia abusus vocum tantum non adfert nocummenti. Hic verò accuratè ratio habenda *Essentialium, ne confusio illa homonymias; homonymia verò lites & errores pariat*.

S. 32. *Essentialia rei verò sunt Materia & Forma*: In ijs autem quæ *Materiam & Formam* propriè non agnoscunt, *illa, que vicem eorum supplent, Genus & Differentia*. Hæc autem in *Disciplinis* (quod quia in confesio omnium est, hic præsupponimus, postmodum probandum) desumuntur à *Forma generica & Objecto*. A *Genere* verò seu *Formâ genericâ* denominatio peti nequit, quia latius se extendit, nec ab alijs sufficienter distinguere potest. Ergo *ab Objecto*. *Objectum* autem esse *Ens* suprâ quoque rudi *Minnervâ* delineavimus, unde *Doctrina de Ente seu Ontologia* Græco Nomine, ad Analogiam reliquarum *Disciplinarum* ferè omnium denominari potest.

S. 33. Occidentilli, qui *Antiquitati* unicè deferunt, *Metaphysicæ Nomen* jam usu *invaluisse, & ejus Disciplinæ conceptum menti sistere, que agit de Ente, ideoq; temerè non explodendū: Terminus enim antiquos non esse mutandos. Antiquitati oscitanter non contradicendum, que juvanda potius commodâ explicatone. In verbis ut litigium non oportere, ubi de re constat*.

S. 34. *Responsuri* equidem fatemur, grave esse hîc quicquam decernere, nam ab alterâ parte *Antiquitatem* canam è possessione deicere, ejusq; casariam vellere, religio est; ab altera verò *Veritatem* ipsam oppugnatum ire abhorret *Genius*. Quò tutius procedamus, evolvemus primò *diversas, quæ hîc implicantur, quæstiones*. Aliud enim est quærere, *An Nomen Metaphysicæ rectè sit positum? Aliud, an postquam jam invaluerit, sit retinendum? Prius vi veritatis convicti cogimur negare, nec speramus noc hîc tradi;*

tradicientem experturos: *Posterius* verò quod in controversiam venit, ne contra Antiquitatem asserere, nec contra veritatem negare teneamur, hoc consilij suppeditamus, *Utrumq; Nomen esse conjungendum, donec usu invalescat, ac seipsum commendat, quod verius, sensim verò obliteretur & labascat id, quod vulgarius & deterius.*

§ 35. Adeò tamen continere nos non possumus, quin paucula *objecta rationibus* reponamus, quia limã sustinere posse videntur. Ad 1. Resp. Quòd *Disciplinã* de Ente repræsenter, ille sibi persuaderi patiat, qui in confusã cognitione vocum semper hæret. Qui verò distinctã cognitione Terminos penitrare amat, facillè animadvertit, præterquam quod Essentiam *Disciplinæ* non exprimat, nil aliud importare, quàm *Disciplinam Physicã superiorem vel posteriorem*, at talis etjam est *Noologia*, quæ ideo eodem nomine gaudebit.

§ 36. Ad 2. Ut hoc effatum suo sensu verissimum, ita valde impertinenter transfertur ad *Artes & Scientias*. Sic enim unã operã omnes Eruditorum operæ rejicerentur, nam qui Terminos promovet, etjam mutat antiquos. Dabimus tamen huic translationi locum, verùm in Terminis, ut maneat Termini. *Si quis injusto titulo agrum occupasset, an contra verum Possesforem hoc dicto servituri possit?* Non putamus. Idem ergo hîc dicendum censemus, quia præter Veritatem hoc Nomen impositum, vel in herbã encari oportuit, antequam usus omnium maximus Tyrannus longã temporis præscriptione sui juris faceret.

§ 37. Ad 3. Hoc nos permovit, ut commodè, velut deet, de Antiquitate loqueremur. Illa enim ad omnia semper oculata esse, non potuit, sed posterorum industriæ multa etjam scrutanda reliquit. *Injuri ergo & in illam & nos ipsos sumus, nisi hoc ipsius votum arripientes juvemus, ubi communem hominum sortem experta, sensim deflectere cepit.*

§ 38. Ad 4. Nocentius Effatum & quod bonũ artibus magis inimicum vix unquam audivimus. Hoc quidem faciles damus, litigandum non esse amplius, si alter, qui litis materiam hoc suo pronunciato difeminavit, herbam porrigat. Si verò mentem suam retinendo idem urgeat, nil absurdius esse putamus: quid demum enim fiet, si congruentia conceptus & vocis, mentis & oris non attenditur?

*nbi manebit Veritas, si auditâ voce unus hoc, alter illud concipit? an non hoc modo res liquida in varios sensus pro libidine torqueri potest? annon latissima porta aperitur disserendis Schismatibus & Hæresibus, quæ vel ex hoc fundamento maximam partem sunt enata.*

## MEMBRUM II.

### De Definitione Metaphysicæ

*το*  
*σνευ*

§. 39. Explicatō *Subjectō Definitionis seu Definitō*, via strata est ad penitiùs scrutandum *predicarum* ejus, seu *ipsam Definitionem*. *Definitio* autem vel *datur*; vel *investigatur*. Quæ datur, aut una est, & tum vel *resolvitur secundum partes*; vel *resoluta verificatur per rationes*: Aut *ex pluribus una eligitur per collationem*. Quæ investigatur, *ex præsuppositis postulatâ rem ipsam deducit*. Nos ergo aliorum datas Definitiones in usum nostrum ita convertemus, ut quid veri habeant, inde assumamus & statuminemus.

*Historia*

§. 40. *Aristoteles* ipse non definiuit *expresse*, at unde *Definitio* sumi possit, insinuavit *implicitè*: nam ut in plerisq; aliis, ita & hic *Artem* ipsam, non autem *de Arte ejusq; Naturâ* scripsit, quia ad *Disciplinam Essentialia* non spectant *Utilitatû præcognita*. *Ejus Subsequi Habitualiter & in mente* ( ut æquum erat ) considerantes, ex *Prædicamento Qualitatis* per *aliquem Habituum* definiuerunt. *Rami* verò *Discipuli* postquam serò agnoverint hanc *Disciplinam*, *systematicè & in dispositione præceptorum* attendentes, per *Artem, Doctrinam, Disciplinam, Systema* eam descripserunt. Proinde alii ne in bivio linquerentur, *veritatè accuratius scrutari cœperunt*. Tandem ruente per seipsam *Ramæorum* opinione, inter *Peripateticos* ipsos *in exorta* de utrâq; definitionis parte, *de Genere* primùm, & postmodum *de Differentia seu Objecto*.

*Deductio*

§. 41. Hanc rem ex fundamento cognoscere juvat, ut utri quis sententiæ se addicere malit, ex primo obtutu dijudicare queat, in quem finem prænotamus sequentia.

§. 42. *Metaphysica seu Ontologia potest definiri perfectè*, Quippe *Terminus* est *Prædicamentalis*, at hujus conceptus coram mente representari potest, eâ perfectione, quæ pro naturâ rei cuius conceptui competit.

§. 43. On-

§. 43. *Ontologia debet definiiri Essentialiter. Debet definiiri, quia potest, & quidem ex Essentialibus rei, non pro hoc aut illo respectu adhaerente. Res quidem potest considerari multumodis, & in diversis saepe pradicamentis, unde varias etiam assumit descriptiones. Sic Metaphysicam alius considerat in Deo, in quo est eminenter & exemplariter; alius in libro & Systemate, ubi est Signotenus & Accidentaliter; alius in rebus, in quibus materialiter & fundamentaliter; alius in mente, ubi formaliter & Essentialiter esse volunt. At velut Res unam habet naturam, ita unum conceptum & unam definitionem Essentialem, quam hic intendimus.*

§. 44. *Ut ergo quæ sit Essentia Metaphysicæ, seu ubi Essentia-liter radiceur, inquiri, & respectus accidentarij removeri possint, excutiendæ singulatim singula Definitionu partes, Genus scilicet & Differentia.*

*Membr. II. Articul. I.*

## De Genere Metaphysicæ

45. *Genus desumitur ex Pradicamentis. In eum enim finem, disponuntur Tabula pradicamentales, ut Genus & alia certâ serie digesta exhibeant. Hoc ergo viâ divisivâ, & per remotionem aliorum pradicamentorum inde eruendum est, donec ad illud pradicamentum, & illum ejus gradum deveniamus, in quo locari deprehenditur. Ita si progrediamur, constabit primùm Ontologiam nostram esse Accidens Absolutum, Inherens, Quale: Et quidem non Potentiam, nec Passibilem, sed Habitum: cumq; Acquisitum, Anima, Intellectus, Principalem, Theoreticum. Hæc omnia partim ex superioribus deduci, & ad divisiones Sclarum pradicamentali-um commodè applicari possunt, partim extra omnem controversiæ aleam sunt posita.*

§. 46. *Hactenus conveniunt omnes rectiùs sentientes, per aliquem Habitum Principalium Theoreticorum describendam esse. Verùm in eo abeunt in diversas sententias, per quem propriè & proximè sit definienda. Habitus autem Theoretici in universum sunt tres, Intelligentia, Scientia & Sapientia. Intelligentiam pro genere nemo venditat, neq; per naturam rei potest: Illa enim Principia complexa expendit; Ontologia verò Ens incomplexum scrutatur: Illa Habitum exhibet Noëticum; Hæc verò Dianoëticum,*

qui applicat Principia ad conclusiones. Superfunt *Scientia & Sapientia*, quarum *utra Genus Ontologias constituat*, *controversum esse jam supra indigitavimus*, quod jam ut plenius exponamus, *Methodi ratio exposcit*.

Historie  
evolutio

§. 47. *Aristoteles ipse*, licet expressè non definiat, haud dubiè tamen eò inclinât, per *Sapientiam* definiendam esse, quod ipsi 6. *requisita Sapientie* competant. Hunc alij etiam longo pòst tempore secuti sunt. Postmodum verò nonnulli, præfertim *Scottiæ*, subtilius animadvertentes, *Sapientiam esse synonymon Grammaticum Metaphysicæ*, concedunt quidem ob rationem dictam, *Metaphysicam esse Sapientiam*, sed *Sapientiam non esse ejus Genus*, quia Genus latius se extendere debet quàm Species. Sic Ensis non potest esse Genus gladii, quia alterius alterum est Synonymum. Contrà verò pro Genere *Scientiam* asumerunt, quia in quid & casu recto de eo prædicetur, & scientificè demonstrat, verùm *voce paullum ampliata, ut non modo notitiam conclusionum ex scientiâ particularibus, verùm ex principiis indeterminate sumtis notaret*.

§. 48. At qui *Sapientiam* statuerant esse Genus, videntes se ita causâ suâ cecidisse, excipiunt non esse absurdum, ut Genus sit æquale suæ speciei, *dari quippe Genera & species Monadicas*. Volunt ergo *Sapientiam* adhuc Genus esse, nisi velimus admittere, *Sapientiam esse Habitum sine re, Genus sine specie*. Et contrà *Scientiam* non posse constituere Genus, quia *habet se ad Metaphysicam, ut pars virtualis ad Totum*. Nec ita ampliandam censent, & si fiat. *improprie sumi, & formale suum excedere putant, quia non potest agere de Universalissimis Principiis Noologiae, & ex iis suas conclusiones repetere*. Deinde urgent quàm maximè, si concedatur *Metaphysicam esse Sapientiam, non posse per Scientiam, tanquam ejus conspeciem definiri*, quemadmodum Homo non potest definiri per Brutum.

§. 49. Illi verò qui *Scientiam* posuerant, concedunt dari aliquando *Genera & Species monadicas, seu tales, que unam tantum actu agnoscant speciem, interim aptitudinem ad plures species necessario requiri dicunt, ut sit verum Genus*. At in *Sapientia esse repugnantiam ad plures species, quia impossibile, dari duas disciplinas, que simul de Universalissimis rebus sub eodem procedendi modo agant*,  
indeq;

indeq; pro genere non posse admitti. Et contra *Scientiæ ampliatio-*  
*tionem* supra dictam *necessariò assumendam concludunt*, quia nul-  
*lum aliud Genus dari*, & *præviâ ampliatioe id, quod obijcitur faci-*  
*le refelli potest*. Sic hactenus ferè ambigüe certatum fuit.

§. 50. Ut certi quid ex hisce tandem colligamus, duo adhuc *Veritatis*  
præmittenda censemus, quæ lucè afferent præsentî Materiæ haud *enodatio*  
exiguam 1. *Axiomata quedam generalia*, 2. *Vocum*, quæ in contro-  
versiam veniunt, *diversas acceptiones*.

51. (Axioma I.) *Ontologia est Essentialiter in mente*. Dedu-  
ci hoc potest ex antè dictis, & Analogia reliquarum Disciplinarum  
idem importat. *Ubi enim operationes suas à forma procedentes ex-*  
*ercet, ibi est essentialiter*. Atqui in mente exercet illas, quia per-  
ficit illam cognitione sui, E. in mente erit essentialiter. *Qualitas*  
*autem perficiens mentem Habitus est*. unde quia *Essentiam confusè*  
*exprimit*, Genus Ontologiæ erit.

§. 52. (2) *Genus inquirimus non remotum, sed propinquum*. In  
Definitionibus enim saltum committere non licet. Habitus ergo  
licet sub certâ quadam Categoriâ Genus ejus sit, nondum tamen  
proximum est, quia plures adhuc sub se complectitur species, ad  
quarum unam Ontologia referenda erit.

§. 53. (3) *Genus proximum in Accidentibus & peculiariter in*  
*Qualitatibus desumitur à Formâ Genericâ*: nam quia Forma est, ad  
Essentiam spectabit, quia generica, adhuc confusè illam exprimet.  
Forma Generica autem ex Fine & modo procedendi cognoscitur, quia  
indigitant officium ejus & operationem propriam. Ex superioribus  
autem in §. 18. & 22. dictis, Finis restringit ad Habitus Theoreticos;  
Modus verò procedendi ulterius limitat ad Habitus Dianoëticum.  
sc. talem, qui ex Principiis 1. conclusiones elicit & firmat, adeoq; in-  
ditiis haud obscuris Sapiëntiam esse Genus ostendit, quod ut clariùs  
dispalescat, annectimus

§. 54. (4) *Verba in Definitionibus à Philosophis strictè, adæquatè*  
*& propriè sunt usurpanda, ut exsulet ex respectibus orta omnis ambi-*  
*guitatis occasio*. Hoc quia minùs usitatù & magis periculosu, paullò  
latius explicari oportet. *Strictè sumi non volumus hîc, quod in spe-*  
*cialissimo signifiato capitur*; ita enim sæpe voces Synecdochicè vel  
*Analogicè sumuntur ob excellentiam & perfectionem*; sed id quod  
abstra-

abstractione conditionum materialium prævis per nudam formalem  
rationem importatur. Latè verò & laxè qui præter necessitatem  
excusandæ venerandæ Antiquitatis capi posse admittit, nil aliud  
agit, quàm ut ignorantia suæ tutum asylum parèt, quò a scopo  
rejectus ad æquivocationum latebras adhuc effugere queat: nam  
quod latè sumitur, dicitur tantùm ita ob similitudinem quandam  
in Analogia proportionis fundatam, quæ impropria est & æqui-  
voca, ideoq; turbat & distrahit conceptum, quem unire debebat.  
Hinc quamdiu Philosophus pressè & propriè Terminos non ur-  
get, admittendus non est.

§. 55. Deinde *diversas Vocum acceptiones* prædelibandas dixi-  
mus. *Vox Scientiæ* capitur potissimùm *tripliciter*. 1. *Populariter*  
pro quavis notitiâ seu cognitione extra causas, etiam contingentium,  
quæ acceptio apud vulgus frequens est. 2. *pro notitiâ habituali*  
*conclusionum ex principiis particularibus & antè notis*, ita apud Eru-  
ditos communiter in usu est. 3. *Per Ampliationem pro Habitu con-*  
*clusionum ex principiis indifferenter intellectû, non addito sive prima*  
*sive secunda fuerint*. Hanc ampliationem necessitas extorsit illis,  
qui Sapientiam pro Genere ferre non poterant.

§. 56. *Sapientia* itidem sumitur *tripliciter*. 1. *Pro Habitu illo,*  
*qui ex Principiis primis conclusiones Universalissimas per impossibile*  
*eruit*, quia illi competunt Requisite 6. à Philosopho assignata.  
Hæc dicitur etiam *Sapientia prima*. 2. *Per Analogiam, Pro Habitu*  
*ex Principiis determinatis determinatas conclusiones offensivè eli-*  
*cientibus*. Ita Scientiis competit, quæ hinc *Sapientia secunda* di-  
cuntur. 3. *Pro Habitu quodam Theoretico discursivo in subtilissimis*  
*quibusvis occupato, & ex quibusvis principiis quascunq; conclusiones*  
*indeterminatè eruente*. Ita in vulgata Definitione Philosophiæ sumi-  
tur, quando definitur illa: *Habitus ex Sapientia & Prudentia con-*  
*stans*, ita Philosophi, non tantùm Metaphysici, ante Pythagoram  
dicebantur *Sapientes*.

§. 57. His præanticipatis *Formale Terminorum genuinum* ex  
tribus requisitis vulgò notis adhuc eruendum esset, & ostenden-  
dum, in qua acceptione remotis æquivocationibus maximè pro-  
priè caperentur. Verùm ad prolixitatem evitandam id eâ, qua par  
erat, accuratione hîc fieri nequit. Ut ergo breviores simus, ex su-  
prior

periori nostra Disputatione, de *Via Inquisitiva* *Habitūs Philosophici*, & aliorum, quomodocunq; etiam sumentium concesso, tanquam ratum asymetrus, *Scientiam & Sapientiam esse cognitiones Habituales alicujus Objecti*. Et quidem, velut modò quoq; ostensum, *Theoretici & Dianoëtici*. 2. *Scientiam & Sapientiã esse diversas Species, quæ ut in genere conveniunt, ita in conceptu contrahente differunt*. 3. *Conceptum differentie in his ex Objecto & modo procedendi circa illud desumendum esse*.

§. 58. Modum autem procedendi in *Theoreticis* esse triplicem universum; In *Discursivis* verò duplicem, jam suprà patuit: alterum qui procedit *ostensive*, seu per rationes inferentes à priori *Syllogisticè*; alterum qui procedit *retro & per Impossibile*, sc. per *explicationem Terminorum negantem deducendo ad absurdum & contradictionem*. Plures modi dari nequeunt, quemadmodum nec plures *Habitus Theoretici Dianoëtici*. Ex his igitur alter *Scientiæ*, alter *Sapientiæ* necessariò competit.

§. 59. Sic *Objectum* esse *Res illas, in quas hi Modi procedendi tanquam Formæ introduci possunt*, facile constat. *Objectum* ergo *Scientiæ* erit *Res Scibilis*, *Sapientiæ* *Res Sapibilis*. *Res Scibiles* ergo sunt, quæ *ostensivè demonstrari*. *Sapibiles* verò quæ *per Impossibile probari possunt*. Ut autem *Sapibile* suprà invenimus tractare *res summas, universalissimas & indeterminatas*. Ita *Scibile* ex opposito erunt *Res minus abstractæ seu particulariores, determinatæ quidditatæ, adeòq; præcognitæ*, quia ex *Incognitis Demonstratio* non potest procedere.

§. 60. *Formale* igitur *verum utriusq; vocis* hoc erit. *Scientia* est *cognitio habitualis, seu Habitus ostensivè demonstrans suas conclusiones particulares ex particularibus principiis & præcognitis*: id quod etiam deduci potest ex *notatione vocis, Oppositi, Subjectorum* in quibus radicatur, & *Requisitis*, quæ brevitatæ ergo scrutari non possumus. *Sapientia* verò est *cognitio habitualis rerum subtilissimarum, eruens conclusiones primas ex quibusvũ principiis indeterminate*.

§. 61. Hinc patet, *Scientiam* in *secundâ acceptione propriè & strictè* capi ab *Eruditis*: *prima* verò ut *rudis plebecula tantum* est, *ita tertiâ abusiva & impropria* est, præter omnem necessitatem in-

C

ducta,

vecta, nec à Philosopho aut Philosophis u sitata, nec ex affinitate rerum seu principiis i. probanda. Et quid quaeso erit Scientia præcisa à primâ & secundâ? vel si quid erit, cur non idem potius de Sapiaentia ex mente Philosophorum admittitur. Urgetur *Ampliatio*. at hæc *nulla* est, ubi *Termini formale exceditur*. Scientia procedit ex Principiis particularibus & antè cognitis, E. non ex Principiis indifferenter sumtis. Hoc ergo suâ sponte ruit, nec hoc ampliari est, sed laxè ac improprie ob animadversam aliquam convenientiam vocibus abuti, id quod contra naturam Definitionis est.

§ 62. Sic *Sapiaentia in tertia acceptione propriissimè* capitur. In 1. verò *Synecdochicè* & κατ' ἐξοχήν Metaphysicæ tribuitur, adeoq; *aquipollenter* quoq; denominatur *Sapiaentia prima*. In *secunda* verò *Analogicè* (at *Essentialiter*) Scientiis quoq; applicatur, quatenus sæpe etiam res subtiliores, difficiliiores, abstractiores indagant.

§. 63. Excipi potest, *Sapiaentiam* quoq; *non ita ampliandam* esse, nec *ampliatam*, *Habitum*, sed *tantum aggregatum* quid esse: nam Pars Philosophiæ Theoreticæ, non *Habitum*, sed *aggregatum* ex *Habitibus* disciplinaribus est. Sed Resp. *Ampliationem* istam *Fundamentum in re monstrat*, *Uusus Eruditorum docet*, *Rerû affinitas permittit*, id quod in Scientia desiderabatur. Deinde nihil absurdum est, *Aggregatum alio respectu* quoq; *Habitum esse*, præfertim *genericum*. Sic enim omnes *Disciplinarum conclusiones* *Habitum* sunt *Speciales*, & respectu totius *Disciplinæ aggregata*, at nihil minus per *Habitum genericum* definiri possunt, quia *aggregatio ista ordinata* est, ideoq; quàm proximè ad *Unum* per se accedit. Idem hic obtinere puto. *Aggregatur* quidem *Philosophia Theoretica*, quatenus *pars est*, & respectu totius attenditur, ex *diversis Habitibus Disciplinaribus*. At in se & respectu *Essentiæ esse habituale*, quod aut *Habitum per se constituere*, aut quàm proximè ad eum accedere potest, certum est, juxta quod *Genus esse*, & *Sapiaentia præcisè denominari potest*.

§. 64. Hæc in antecessu discutienda & firmanda erant. Jã tandem ut nos recolligamus, & remotis *questionibus peregrinis*, statim rectè formemus, dicimus. Non quaeritur hic 1. *An Ontologia sit Sapientia vel Scientia?* Hoc enim utrimq; in confesso est. Nec 2. *An Metaphysica possit dici Scientia?* Hoc enim evincunt illi, qui in casu  
recto

recto de illa prædicari, ex Philosopho ostendunt, sed quæritur id, *Utrum Scientia vel Sapiencia strictè accepta sit verum & proximum Ontologia Genus?* Hoc expediemus breviter per 2. conclusiones.

§. 65. (1) *Scientia non est Genus Metaphysica*, quia ut *impropriè* capitur, ita hîc non attendimus, nec quôq; potest esse Genus. ut verò *propriè* sumitur, ita nullâ ratione accommodari potest, quod sponte agnoscit ad versâ pars, quin potiùs pars virtualis ejus dicenda, quod rectè urgent Sapienciæ Patroni. *Concidunt ergo difficultates supra objectæ*, quod *Scientia in quid & casu recto*, adeôq; *συνώνυμος* de Ontologia prædicetur. Respondemus enim *concedendo da Scientia impropriè sumtâ* in quid prædicari, verùm *non ut Genus de Specie*, nec magis *Synonymicè*, quàm dicimus, *Metaphysica est Prudentia*, Herodes est vulpes. Ut enim ista ob quandâ Analogiâ de Subjectis prædicantur, ita & hîc fit. 2. *Metaphysicam etjam scientificè demonstrare Affectiones per Causas*. Respondemus, Hoc quidem *Metaphysicam aliquando facere posse*, ut disciplinam superiorem, verùm *non facere ex officio suo proprio*, adeôq; inde ad ejus Essentiam nil concludit. Deinde *Requisita scientificæ Demonstrationis*, si presè urgeamus, non adesse, quod prolixè factis deduci possit, si charta & otium paterentur. 3. *Scientiam posse ampliari*, de quo supra visum, ideoq; nil addimus.

§. 66. (2) *Sapientia est Genus Metaphysica legitimum, in propriissimâ sua significatione*. Nec obstant hîc *difficultates injectæ*, sc. 1. *Sapientiam esse Synonymon Metaphysicæ*, ideoq; non ejus Genus. 2. *In Sapientia esse repugnantiam ad plures species*, Hoc enim ut de *Sapientia prima*, quam nonnulli pro Genere *Metaphysicæ* venditarunt, largimur, ita de *Sapientia præcisè & propriè sumtâ* contra nos nequaquam urgeri potest.

§. 67. Ita *Genus* eruiamus, quod jam *distinctè* Modum procedendi seu Demonstrandi aperit, nam antea *confuse* tantùm supponebatur. Hinc ad *alterum Cap. i. Memb. 2. Art. 2.* accessum molimur, consimiliter de *Differentia* disquisituri.

*Memb. 2. Artic. II.*

## De Differentia Metaphysicæ

§. 68. *Ut Genus à Materia, ita Differentia à Formâ sumi debet Terminî* (cum aliis loquimur, qui ita deducere solent, mens nostra quæ hîc explican-

fit, peculiari disquisitione aperiemus) Definitio enim concinnan-  
da ab *Essentialibus*. At *Materia* & *Forma*, quæq; earum vices gerunt,  
Essentiam rei constituunt. Cum verò *Formæ* rerum ut plurimum  
nos lateant, sæpe aliunde sumi necessum est. In *Accidentibus*, quia  
ipsæ sunt *Formæ*, adeoq; per *Formam* definiiri nequeunt, contra-  
rium ferè observamus processum. Genus enim desumimus à *For-  
ma generica*, & id, quod loco *Differentiæ* *Generis* indifferentiam  
determinat, à *Materia*. Quoniam ergo *Metaphysica* *Accidens*  
est, *determinatio* *Generis* quoq; à *Materia* sumi debet, quæ juncta  
*Formæ genericæ* totam *rationem formalem* absolvit, *Essentiam* rei  
distinctè specificat, & ab aliis præcisè distinguit, ut plura aggere-  
re non sit opus. Quando verò, & quæ alia adduci oporteat, alibi  
Deo dante disquiremus. *Accidentia* autem, quia non habent *Ma-  
teriam* propriè sic dictam, id est, *Materiam ex quâ*; aliis enim essent  
corpora, per *Materiam* *impropriè* ita dictam describenda sunt.  
*Materia* verò *impropriè* dicta, est vel *Subjectum*, in quo res est; vel  
*Objectum*, circa quod res versatur. *Accidentia* autem sunt duplicis  
generis, quædam à *Forma emanantia*, in hærent, ideoq; mentione  
*Subjecti*, cui in hærent, definienda. *Alia ab extra recepta*, *Subjectum*  
*suum perficiunt*, unde ab *Objecto* *perficiente* describuntur. Cum  
ergo *Metaphysica* *Essentialiter* mentem perficiat, ab *Objecto* quoq;  
definiiri debet. Evidentiùs id inde constat, quia *Metaphysica* est  
*Habitus*. At *Habitus* *Essentialiter* involvunt *respectum ad Objectum*,  
quod autem *Essentiale* rei est, in *Definitione* exprimi debet, unde  
consequitur, in *Definitione* alicujus *Habitus* *Objectum esse nomi-  
nandum*, quod cum per superiora *Genus* esse nequeat, loco *Diffe-  
rentiæ* assumendum esse constat.

§. 69 *Objectum* varium est & multiplex. Alii etjam *Objectum*  
nostrum *Subjecti* nomine indigitant, ne igitur confundantur  
*Termini*, qui accuratè distingui merentur, nec imponat nobis  
varietas *Objectorum*, *Terminos* hosce *explicare* operæ pretium  
est. *Subjectum* primò vel *Logicum*, vel *Physicum*, vel *Scientificum*  
est. *Logicum*, de quo in *Logicis* agitur, est vel *Denominationis*, vel  
*Prædicationis*. *Denominationis* *Subjectum* est *Accidens concretum*,  
quod à *Forma abstracta* appellationem suscipit. *Prædicationis*  
*Subjectum* est id, de quo aliquid dicitur in *propositione*. *Physicum*  
quod

quod in Physica tractatur, est vel *Generationis* seu *Existentiæ*, & *Inhesionis* seu *Receptivitatis*, ac *Informationis* seu *Perfectionis*. Illud est *Materia*, quæ in generationibus substat, juxta Peripateticos. *Itud*, cui aliquid inhaeret. *Hoc*, quod ab *Objecto* perficitur. Hæc hætenus propriè *Subiecta* vocantur, & nihil habent commercii cum *Objecto*. *Scientificū* verò seu *Disciplinæ*, quod *Occupationis* dicitur, cū *Objecto* planè idè est: Et in hoc significato id quod quærimus, modò *Subiectū*, modò *Objectū* denominatur; *Subiectū* scilicet *ratione Demonstrationis*, quatenus *Affectiones* per *Principia* de illo demonstrantur. *Objectum* verò *ratione cognitionis*, quatenus menti ad cognoscendum in se & suis partibus objicitur.

*Objectum* hîc non quærimus quodvis *Noëma*, quod alicui *Potentia* cognoscenti objicitur, sed tale, quod *Habitus nostrum* limitare, adeoq; *integram Disciplinam* constituere potest, idq; non *inadequatum*, ut sunt in defectu *Objectum perfectionis*, quod principaliorè veri *Objecti* partem; Vel *Attributionis*, quod primarium ejus *Analogatum* exhibet; aut in *Excessu omnia, quæ indirectè ac per Accidens huc revocari possint*, aggerat: Sed *Adequatum & Totale*, quod totam *Disciplinam* adæquet. Hoc verò pro diversitate *Modi* mentem perficiendi diversimodè denominatur. In *Practico* dicitur *Objectum Operationis*, quod operando circa illud versemur. In *Theoretico* *Objectum contemplationis*, quod in nuda ejus contemplatione subsistamus. *Tale hîc*, quia *Habitus* est *Theoreticus*, *inquirere decet*.

§. 70. Variæ autem hac de re prostant aliorum *Opiniones*, tum *Historia* ad excessum, tum defectum abeuntes. Has autem nervosè propo- *innuitur* nit, & propositas solidè enervat *Claviss. Dn. Scheibl.* unde nostrum non esse arbitramur, actum ut agamus, & lucem soli affundere tentemus: Quare in veriori sententiâ, probatorum *Metaphysicorum* calculo roboratâ, ex ipsis fundamentis producenda tantùm occupabimur.

§. 71. *Objectum* suprâ ostendimus esse *Sapibile*, idq; *summum* *Veritas* *Entis* *conceptum* insinuare, ruditer primò delineavimus. Hoc jam *investiga-* distinctiùs ut pateat, & quod, ac quale sit illud *Ens*, in aprico po- *tur* natur, tanquam notum supponimus, *Sapientiam versari circa prima & subtilissima, adeoq; difficillima*: nam ea tantùm curat & accurat, quæ a sensibus & a vulgo sunt remotissima.

§. 72. Quum igitur *Ontologia* sit *Sapientia*, *Objectum* illius erit constituendum, quod *primis* & *difficillimis* rebus subterni queat. Si igitur circa *prima* versatur, etiam circa *suprema* occupabitur: nam quæ *prima* sunt *Naturæ*, illa *ordine cognoscendi* sunt *suprema* seu *postrema*, quod *Tabulæ Prædicamentales* alibi docent. Si *suprema*, etiam *abstractissima* tractabit, nam eò superius quid per *Naturam* constituitur, quò quid magis est abstractum à pluribus, hinc *suprema* erunt, quæ per *ultimam Abstractionem* colliguntur, id quod etiam *nomen Metaphysicæ* subinnuit. Si *Abstractissima* etiam *Universalissima* proponit: nam per abstractionem conceptus universales producuntur, quò ergo *plures actus abstractionis* interveniunt eò *universalior* est *conceptus*. Si *Universalissima* etiam *communissima* erunt: nã quæ abstracta in conceptu ab omnibus, in re vicissim omnibus applicari possunt. Si *communissima* etiam *difficillima*, quia quò *plura sunt in uno conceptu*, eò *confusior* est *cognitio*. Et sic reciprocè, quæ *difficillima*, *prima* sunt. Erit ergo *hoc Cognoscibile* in *Philosophia summum*, quod supra se non habet aliud, *Abstractissimum* scil. ab omni partiali quidditate, *Generalissimū* respectu adscensūs, *Communissimum* respectu Descensūs. Et quia *Objectum* esse debet, *Incomplexum*. Non autem *Inferius* quid, *Particulare*, *Determinatum*, *complexum*. Tale autem *Ens* esse, *Natura* docet, *quæ in Classibus Essendi* monstrat, *consensus Eruditissimorum Philosophorum*, qui aliud investigando invenire non potuerunt, comprobant, *Requisita Objecti* evincunt.

§ 73. Antequam autem *quid Ens sit*, & *quomodo concipi debeat*, accuratè constare queat, adhuc dispiciendum, *quomodo conceptus ejus inquiri*, & *ubi in re inveniri possit*.

74. *Inquiritur per Abstractionem juxta Essendi Tabulas*, quæ hinc *Medium Objecti constituendi* rectè dicitur. Quomodo autem fiat, alibi expositum, & fortè aliquando latius exponendum. Interim nunc breviter repetendi necessitatem imponit ordo. Oblatis sensui Individuis, cum simul omnia ob multitudinem cognoscere non possimus, ideo *Intellectus* per proprium intelligendi modum communem conceptum inde præscindit, qui omnibus Individuis ejus naturæ universaliter competit, & novâ *Notionis secundæ Impositione Species* nuncupatur. Ita & in aliarum rerum  
Indivi-

Individuis procedit, & omnia ad Specierum notionem revocat Mens humana. Quia verò plures ita offendit Species, quæ inter se collatæ, in aliquo Essentiali conveniunt, ne multitudo confusionem pariat, iterum ad unum conceptum communem, eumq; Universaliozem, per novum Abstractionis actum redigit, qui distinctionis ratione Generis nomine insignitur. Sic v.g. Homo, Equus, Ovis &c. ad conceptum Animalis revocantur. Ita quoq; in aliis Speciebus ad sua Genera reducendis consimiliter progredimur. Cùm verò nondum omnia in uno conceptu inclusimus, sed adhuc detur magna rerum varietas, quæ per exquisitam collationem in Essentialibus prædicatis adhuc coire deprehenditur, adeoq; admittit, immò imperat ulteriorem abstractionem, eousq; ad unitatem redigit. donec ad Substantiã perveniatur. Sic Animalia cum Metallis, Elementis &c. collata ad conceptum Corporis; Corpus cum Spiritibus collatum, ad Substantiæ conceptum revocatur. In Accidentibus quoq; idem processus obtinet, donec Terminus communis Accidentis exurgat. Tandem Accidens cum Substantia adhuc ad conceptum superiorem revocari potest, quia quamdiu datur rerum pluralitas, tamdiu datur conceptus, qui illam ad Unitatem redigit, cùm Intellectus simul pluracognoscere nequeat. Hinc prodit conceptus Entis, à quo jam ulterius non progredi licet, quia non datur aliquid, quod in illo non comprehendatur, aut superius sit. *Ita primò inquiritur Entis conceptus, ita facile intelligitur, quomodo & quare Ens Supremum, Abstractissimum, Universalissimum &c. nuncupetur. Constat inde, quid secundum hanc Impositionem sit conceptus Entis scilicet communi illa ratio præcisã ab omni Entium congerie, das alles vnter sich begreiffe.*

§. 75. Verùm hoc modò facit quidem *ad inquisitionem Objecti*, quia ostendit *latitudinem* illam in ratione præcisã, quã Objectum cognosci debet, nondum autem *constituit Objectum* ipsum, quia secundum se totum præcisum est ab omnibus, adeoq; nec in hoc statu applicari potest, unde nec *Affectiones*, nec *Modos contrahentes* admittit. At *Objectum* non ita considerari hic debet, *prout cognoscitur tanquam supremum omnium*, sed *pro ut in natura existit, & rebus applicatur*, ac *Affectiones & Species* habet

§. 76.

§. 76. In Re autem conceptus ille summus Entis ita invenitur & formatur. Si datò Individuò, quod Natura suppeditat, singulos conceptus, qui in illo fundantur, lustramus, lustratos per abstractionem segregemus, donec tandem omnium ultimus remanserit, quem hic intendimus sub Entis nomine. Ille enim, quemadmodum per abstractionem a rebus formatus, ita tamen in rebus fundatus est. Illustrabimus hoc exemplo quodam, ut res fiat manifestior. Cum Peregrinamem aliquem præterire conspicamur, ut hominem illum cognoscimus, ubi verò magis a nobis removetur, ut formam non ampliùs assequatur visus, sed motum, non nisi ratiocinatione præviâ hominem esse percipimus, sed propriè sub notionè Animalis concipimus, cujus est loco moveri. Postmodum si ulterius perrexerit, ut nec motum observare liceat, sub confusâ Entis specie apprehendimus. Vel ita potius. Cùm Hominem procul adventantem videmus, antequam distinctè, quid sit, ad conspectum nostrum perveniat, tanquam Ens concipimus. Videmus enim aliquid, necdum scimus quid sit. Interea dum propiùs advolvitur, ut moveri deprehendatur, alio conceptu ut Animal nobis imaginamur. Tandem quando eousq; nobis appropinquat, ut formam externam oculis usurpare queamus, tunc distinctiori conceptu cognoscimus esse Hominem. Sic plures in re unâ formari posse conceptus constat, Sic quem omnium hic loci attendimus, liquet, scil. illum, quem omnium primò confuse, sed in re cognoscimus.

§. 77. Hunc jam conceptum, Objectum Ontologiæ nostræ de-veneramur, verùm non ut præcisum à rebus, & velut in Tabulis prædicamentalibus consideratur; sed in re exhibitum, s. in naturâ positivè existentem, quia ita competunt ipsi Affectiones & Species. licet & hoc admittere queamus, in Protheoriâ paullo liberius secundum rationem præcisam tractari posse, modò respectum illum ad fundamentum perpetuò attendamus. In Theoria autem simpliciter ita spectari debet, quatenus est in re fundatus. Hoc ipsum vera veri Objecti Requisita uberiùs evincunt, si ea singula examinare, & hujus loci & nostri esset instituti. Supervacuum autem censemus, in re manifesta & omnium suffragio stipata plusculum operæ atterere.

§. 78. In-

§. 78. Inter alia ad *Objectum* duo inculcant, & *distinãim* in Definitionibus proponenda argent Authores. 1. *Objecti Materiale seu Rem consideratam*, secundum quã à variis Disciplinis pertractari apta est. 2. *Formale seu Modum Considerandi*, secundum quem ad unam aliquam Disciplinam refringitur. Illud etiam in *nostro Objecto* locum habere potest. *Materiale enim Ens* est, quod omnem rerum varietatem in ultimo & supremo conceptu exhaurit, prout fusè hactenus descripsimus. *Formale* verò esse potest, *Quatenus est Ens* i. e. quatenus non est nihil, sed aliquid, quod in re fundamentum habet, idq; non determinatum & restrictum ad certum quid & particulare, sed indeterminatum & summum.

§. 79. Verùm hæc ut speciosè quidem dicantur, nullam tamen nos cogere necessitatem arbitramur, ut hæc simpliciter & per omnia rata habeamus. Hoc inclarescet, si *fundamentum* attendamus, unde *diversa illa consideratio* ortum traxerit. *Averrhoes* primus fuit, vel certè inter primos præcipuus, qui duplicem istum respectum proposuerit, hunc post alios *Zabarella* secutus est, qui quia vidit, in *Logicis Objectum* ita clariùs exprimi, si *Formale Objectum* addatur, hoc tanquam universale proposuit, & alibi etiam applicandum. Istis ad stipulantur plerique alij, licet paulò aliter se explicent. At hoc certum est *Modum illum considerandi*, quod etiam haud obscure Autores dicti innuunt, desumendum esse *ab iis, quæ sunt rei Essentialia*, alioquin Definitionem ingredi non possent. Hinc quia in *Practico respectu ad Finem Objecto est Essentialis*, ideo *melioris explicationis* gratiã debet exprimi, quomodo *Objectum attendatur*, scil. non in nudã *formali ratione*, sed *accedente illo respectu ad finem*. At in *Theoretico*, quia nil tale præter *Objectum ipsum*prehendimus, hinc *ab ipso Formale* petendum est, verùm cum hoc discrimine. In *Mixtis*, ut & *Artibus*, non tam *Objectum ipsum cum Essentiali suã differentia* spectatur, aliã Mixtæ non essent: sed *accidentalis quedã differentia* (vel *Objectum sub ea*) quia verò hæc extra subiectum esse nequit, ideo *mentio ejus in Definitionibus* quòq; fieri debet. In *Puris* autem *Objectum sub Essentiali suo conceptu* attenditur, unde *Formale necessariò ab ejus reduplicatione* peri debet. At in his, quas inter nostra est *Disciplina*, quid quassò opus est reduplicatione, cum & *Materiale* & *Formale*

male Objecti jam ante in conceptu Entis Essentiali, qualiter in Definitionibus sumi debet, importetur: nam aliud nil præstat, quam ut idem per idem explicet, superflua in Definitionibus aggerat: & limitans contra suam naturam non limitat, sed potius Definitionem conspurcat.

§. 80. Dicimus ergo, in Explicationibus quidem Definitionum melioris intelligentiæ gratiâ non incommode forte seorsim adduci posse. At in Definitionibus ipsis ut penatur, non esse necessum. In Practicis quidem, ut & mixtis Theoreticis, respectus ille Objecti ad Finem vel accidentalem differentiam, quia essentiali est, necessariò apponitur, an verò per particulam limitantem ceteris Definitionis partibus adjungi debeat, sub litem quòque vocari posset, quam frequentia clariùs exhibebunt.

§. 81. To Quatenus quomodo sumatur, adhuc controversam est. Alii specificativè sumunt, quia modum determinat, secundum quem Objectum in Disciplina consideretur. Alii reduplicativè capiunt, vel ob convertibilitatem prædicatum Reduplicatione, vel quia dicit causam inherentiæ, seu quare prædicatum competat subjecto, scil. quia rationem habet Entis seu Essentiæ. Alii utroque modo admittunt. Certum autem est, particulas has esse Limitantes, non Exceptivas, quia nihil excipiunt, sed ostendunt ad quam considerationem Objectum restringi debeat. Illud autem si accuratiùs perfitetur, rectiùs fortè specificativè fieri dixeris quàm Reduplicativè: nam licet reduplicativè explicari quòque possit, ut dicat causam, ob quam Ens statuatur Objectum, scil. quia habet rationem Essentiæ, tamen primariò ita non attenditur; sed secundum quem considerandi modum Ens Objectum fiat, ut sufficienter contra distinguatur alienis considerandi modis.

§. 82. Deinde si vel hoc certò constaret, scrupulum adhuc moveret; num commode satis particula hæ Objectis Disciplinarum applicetur, nam Limitare est Terminum, qui supponitur distributivè, à majori amplitudine ad minorem redigere. Hoc autem fit in suppositione personali, at in Objectis Disciplinarum obtinet Suppositio Simplex, ad quam num Limitatio referri queat, præsertim ex mente eorum, qui modum considerandi rei æqualem faciunt, omnino dubium. Definitiones quidem, quales hodiernum dantur in

Logicis

Logicis, loquuntur de *Suppositione Personali*, an verò eousque ampliari debeant, ut complectantur etiam *Simplicem*, aliis discutendum hic jam relinquimus.

§. 83. Immo si nec hoc urgeatur, nondum tamen in confesio est, an *ipsis Definitionibus admisceri debeant ejusmodi particulae limitantes*, Equis enim unquam aliàs vel vidit vel audivit Definitionem aliquam hisce particulis contaminatam? *Instas*, peculiarrem hic id exposcere rationem, quia *Modus Considerandi Discipulis Essentialis est*, adeòque *Objectum in Definitionibus ad ipsam determinari debet*. Quasi verò *respectus ille Essentialis non posset sufficienter exprimi*, nisi adhibeantur *Limitativa*! Et quid quæso limitationes sibi volunt, ubi *Essentia nudè est exprimenda*? Si *Termini sunt proprii*, ad quid *Limitatio*? Si *improprii*, cur iis in *Definitionibus* abutimur, cum proprios habere possimus?

§. 84. Ut ergo quemvis suo sensu abundare facile permittimus, ita tamen ex dictis haud obscure inferre possumus, quòd *Modus ille considerandi in Practicò & aliis sub particula limitante, & in Theoreticis purè simpliciter præter omnem necessitatem Definitionibus assuevit*, præsertim cum præter receptam consuetudinem nulla stringens ratio adducatur, quæ aliud suadeat, nec aliàs res ipsa, ut audivimus, facile explicabilis sit.

§. 85. Ita jam *inventus & formatus est conceptus Entis*. Ut autem omnibus dubiis, quæ ex generalitate conceptus facile enasci possunt, eò rectius occurratur, paucis adhuc delibandum, quousque se extendat & demittat ille conceptus, quid includat & excludat, ut *Homogenea* accersantur, & *Heterogenea* removeantur ex fundamento.

§. 86. *Fundamentum* autem & *mensura Inclusionis & exclusionis* istius est *Sapientia Natura*, & *Entis ipsius Indifferentia*, unde erui debet, hinc

§. 87. *Includit quæcumque insunt & subsunt Enti*. i. e. præter ipsum Entis conceptum indeterminatum, *Affectiones & quasi species*, quod *Natura Objecti Disciplinaris* ostendit. *Excludit contra Heterogenea*, atq; ita *tum alienos considerandi modos*, quibus consideratur *Eas* ut cognoscibile, vel ut secundis notionibus *substantum alienos in singulis rebus conceptus*, i. e. qui non sunt ultimi.

§. 88. *Includit omnia quæ ante operationem mentis in re existunt, & per speciei positionem fundamentum in re habent, scil. Substantias, Quantitates, Qualitates, Actiones, reliquasq; denominationes reales, quia summus conceptus Entis radicatur in illis. Excludit contra quæcunque ab hoc conceptu vel excedunt, vel deficiunt. Deficiunt autem Entitatis negatio seu defectus, & assimilatio seu rationis respectus, itim partes, gradus, Modi rei, quia per speciei privationem, aut fictionem, aut incompletam rationem tantum cognoscuntur. Excedunt verò quæ plus quàm Ens ponunt, ut Aggregata, Concreta, Artificialia. Item Intelligibile & Aliquid, quia per plurium implicationem concipiuntur, vel cognoscibilitatem etiam involvunt.*

§. 89. *Includit omnes omnino res actu existentes, sed sub ultimo conceptu, quatenus sunt Entia. Sic tractat coelestitem, homineitatem, asineitatem i. e. naturam seu Essentiam abstractam coeli, hominis, asini. Excludit itidem omnes omnino res sub propria quidditate & ratione, seu sub alia, sic non tractat coelum, hominem virtutem, quatenus coelum, homo, virtus, seu quatenus sunt corpora; sed quatenus sunt Entia, seu in celo contemplatur Entitatem, Unitatem, Actualitatem, Activitatem, Invariabilitatem & c. i. e. excludit omnia determinata & restricta Entia.*

§. 90. *Ex hisce dictis tum Objectum ipsum plenè cognoscitur, legitimè statuminatur, & accuratè limitatur; tum omnes adversantium opiniones tam in excessu, quàm in defectu peccantes solidè submoventur.*

§. 91. *Partibus Definitionis jam erutis, Definitionem ex hisce concinnare facile erit, quam nos talem suppeditamus. Ontologia est Sapientia Entis.*

§. 92. *Ad Conceptus hujus definitivi perfectam intelligentiam nequid desit, restat, ut sub finem brevem Causarum enucleationem subnectamus: nam ille demum rem rectè intelligere putatur, qui Causas ejus penetrat. Causæ autem, quod notum, sunt vel Internæ, vel Externæ. Internæ sunt Materia & Forma.*

§. 93. *Forma est vel Specifica, vel Generica. Illam non habent Accidentia, quia ipse sunt Formæ; nam dant sibi ipsis esse suum formaliter, quod effectivè habent à Natura. Hæc verò sub notione Generis*

*Generis in Definitione* proponitur: Estq; *Sapientia* ostendens operationem propriam *Metaphysicæ*.

§. 94. *Materia* vel est *Propria*, vel *Analogica*. *Illam* iterum non agnoscunt *Accidentia*, quæ dicitur *Materia* ex qua, quia sic essent corpora: nam *Accidentia* sunt ipsæ *Formæ*, quibus si accederet *Materia* ex qua, fierent corpora.

§. 95. *Materia Analogica* est vel in *qual* seu *Subiectum*; vel *circâ* quam seu *Objectum*. *Objectum* supra satis est enucleatum, & in *Definitione* explicatè positum. Estq; *Ens ipsum*, de quo plura hîc addere non opus est. Restat *Subiectum*.

§. 96. *Subiectum*, seu *Materia* in qua, est *Intellectus Theoreticus*. Hoc dispalescit ex *voce Generis*: nam quia *Metaphysica* *Habitus* est, ideo in mente erit, quia *Theoreticus*, ideo in *Intellectu* *Theoretico*. In eo omnes conveniunt. *Quale* verò sit illud *Subiectum*, non satis explicatè traditur. *Vulgò* proponitur ut *Subiectum Inhabitionis*, cui inhaereat *Metaphysica*, at hoc absurdum: cum enim & *Intellectus* & *Metaphysica* sint *Accidentia*, quomodo alterum alteri inhaerebit? Dicimus ergo *Subiectum* esse *perfectiõis* seu *Informationis*, quod perficit *Metaphysica* tanquam potentiam accidentalem perfectibilem, & illud roquiri tantum in *Disciplinis*, non autem *Subiectum Inhabitionis*, quod esset ipsa *anima*.

§. 97. *Externa Causa* est *Efficiens*, quæ non est *Aristoteles*. aut *Philosophorum chorus*, sed *Lumen rationis*: Non enim querimus *Causam Systematis Metaphysici*, sed *Habitus* illius, qui *circâ Ens* occupatur, quia ille *Essentialis* est *Metaphysica*. *Systema* autem *medium* tantum est *conservandi* & *propagandi*. Hinc quando contra *Ramistas* disputamus, urgemus quàm maximè, *Philosophiam* non considerandam *systematicè* sed *habitualiter*, quare in *Causarum* investigatione nec *Aristotelem Causam* facere possumus, quia ille dudum mortuus, *Causa nostri Habitus* esse nequit, sed tantum *Causa Philosophia exculta* & in *Systema* redacta. *Philosophus* ergo & *Philosophi* nullam aliam habent cum *Philosophia nostra connexionem*, nisi ut *Libri* eorum & *vox viva* docentium sint *instar medii*, quo accedente *naturali inclinatione* & *exercitationis Industriâ*, *Lumen Rationis* aliàs languidum & debile irriteur, ut *Habitus* *causet in mente nostrâ*, ad eòq; primò & per

se Philosophiam in nobis efficiat. Quòd si tamen obstinatè quis pugnet ex aliorum mente, Aristotelem esse Causam dicendam, quia ille nisi fuisset, nos Philosophiam fortean non haberemus excultam: hinc licet illud fortean per aliud fortean solvi posset, ex amore tamen cedendi & obsequendi alius largiemur esse *Causam secundum dici, Causam remotam, Causam moralem applicau-rem agens ad patiens, vel saltem preparantem Instrumenta, quibus applicatio illa fieri possit, & ut per Exemplum rem declaremus, esse talem Causam, quales sunt Majores nostri respectu Philosophiæ nostræ, quia nos generarunt, si enim non generassent, non essent Philosophi. Num verò tales sint veræ & propriæ Causæ, illis qui diversum sentiunt probandum relinquimus.*

§. 98. *Finis* itidem *sub Genere* latitat, & *ex natura Sapientiæ* erui debet ac potest, verùm nos hîc persequi non possumus, quia rei præstantia tam amplam & copiosam Materiæ segetem in officiis ejus nobilissimis explicandis nobis subministraret, ut hac disputationis mense simul demerere haud queamus, quare cupidum scire ad alios nervosè satis hanc rem deducentes remittimus, & interea progredimur ad

## CAPUT II.

### De Divisione Metaph.

§. 99. Hactenus in Cap. 1. *Definitionem* lustravimus, restat, ut hoc Capite *Divisionem* intimiùs contemplemur. Oportet autem hîc breviores ut simus, & tantùm perstringamus ea, quæ accuratâ deductione aliàs forent digna, ne plus justo excreseat Disputatio.

§. 100. *Divisio* autem vel *inquiritur*, vel *datur*. Ex datis aut *una eligitur*, vel *data declaratur & probatur*. Ubi verò *inquiritur*, primò occurrit quæstio, *An possit dividi Disciplina nostra, seu per partes cognosci?* Hoc extra dubium esse puto, quia *Objectum* habet *pregnans*, quod exhibet *Constituentia*, *Consequentia* & *Contrahentia*, seu Principia, Affectiones, & Modos contrahentes, quæ quia in re distincta sunt, distinctè etjam & per distinctas partes tractari amant.

§. 101. *Quomodo autem dividenda sit* non consentiunt Auctores: nam varias varii Divisiones adduxerunt, quas recenset & simul

mul nervosè ac breviter refellit *Clariss. D. Calovius*. At plerique tamen hujus seculi Philosophi in eo conveniunt, distribuendam esse in *partem Generalem & Specialem*, quæ distributio, licet omnibus *Disciplinis*, quæ *Nomen* videatur *communis*, tamen quæ *rem*, scilicet *incluso ubiviv objecto proprio*, singulis est *propria & peculiaris*.

§. 102. Hanc rem per operosam disquisitionem jam verificare non possumus, persuasi tamen sumus, meliorem vix inveniri, quod breviter ita evincimus. Quævis Res dividenda, *per Essentialia* dividi debet, Essentialia autem *Metaphysicæ* sunt, quæ in *Definitione* continentur, ut *Genus & Objectum*, Ergo ab horum alterutro *Divisio* petenda. Non autem *ab artificioso Systemate*, aut *Causis externis* desumenda, quia illa essentiam rei non ingrediuntur. *A Formâ* verò *Genericâ* desumi nequit, quia *Formæ* sunt indivisibiles, & hinc *Metaphysica* in se una dicitur & *Species specialissima* E. *ab Objecto*, quia in illo varietas quædam occurrit.

§. 103. *Objectum* autem quomodo dividatur, ut constet, prænotandum, *Divisionem* vulgò expendi *secundum Naturam Totorum*. In *Universali* vel *Analogo* sumitur à *Differentiis* seu *Speciebus*. In *Essentiali Physico* à *Materia & Forma*. In *Metaphysico* à *Genere & Differentia*. In *Integrali* à *partibus integrantibus* seu *membris*. In aliis à *propriis Finibus*, *Subjectis*, *Adjunctis*, &c.

§. 104. *Objectum* hîc non potest attendi ut *Universale* aut *conceptus communior*, quia (1.) confunderetur *Divisio* ipsius *Objecti* in parte *speciali* tractanda, cum *distributione Discipline* ad *Naturam totius Metaphysicæ* *explicationem* notanda. (2.) Omitterentur ita *Principia & Affectiones*. Nec ut *Totum Essentiale Physicum*, quia hoc transcendit *Physicam*, nec *Materiam & Formam* propriè dictam agnoscit. Nec ut *Essentiale Metaphysicum*, quia sic *sola Objecti Definitio* tantùm tractanda includeretur, reliqua omnia removerentur, quod absurdum. Nec ut *Totum Integræle*, quia non habet *partes quantitativas*. Nec alio quodam modo, ut in *diversos Fines, Effecta, Adjuncta &c.* dividi debet, quia hoc nimis alienum foret. Unde consequitur *Objectum*, prout in re est, hîc non posse dividi. Restat ergo ut à *diversa ejusdem consideratione mentali* distributio petatur. Quot igitur *modis Objectum* coram *mente* representatur, tot sunt *eius partes constituenda*. jam duobus

*bus modis* unumquodvis Objectum menti listi potest (1.) *In se & genericè*, cum suis superioribus & collateralibus (2.) *restrictè magis*, & cum Inferioribus. Hinc *duæ* modò dictæ enascuntur *partes*, seu *rectius* fortè *Tractatus*, vel *aliàs*; quia à consideratione mentis tantùm pendent.

§. 105. Ad distinctam verò harum partium cognitionem requiritur *ordo*, quò locari illas conveniat. Cum autem Generalia præcedant Specialia, *Tractatus generalis* meritò *priori* ponitur *loco*, & quia tum superiora, tum collateralia expendit, *duabus Sectionibus* opus habet, quarum *altera* agit de *Principiis*, *altera* de *Affectionibus*.

§. 106. Ita fit in *Scientiis* ferè omnibus, quæ *Objecta* sua habent *præcognita*. At in *hac* nostra *Disciplinâ peculiare* quid obvenit: Hæc enim *Principia propria* non habet, quia *Sapientia* est, quæ ex proprio suo procedendi modo talia non requirit; cum enim retro conclusiones ad Principia applicat, sufficit illa esse *mutuatiua*, & *aliunde transumpta*, unde non opus est, *peculiarem* Principiis hic assignare *sectionem*. Contrà verò, quia *Regina* est, & *moderatri omnium Disciplinarum*, non patitur sibi ab aliqua *Objectum præscribi*, sed ipsi sibi illud substernere necessum habet, pro quâ *præcognitione peculiarem* sibi *deposcit Sectionem*. *Duæ* ergo hujus *Tractatus Sectiones* erunt, *Primæ* de *Objecto*, *altera* de *Attributis* ejus. Has sequitur *Tractatus Specialis*, exhibens *Modos contractiores* seu *expresiores* & *alia*.

§. 107. *Coronidū loco* non inuulter subnectitur quæstio. *An hæc quam eruimus sit vera Divisio?* Alii enim aliter nuncupant. Communiter quidem *Divisio* vocatur, sed alii advertentes, non satis commodam esse denominationem, *Partitionis* nomine insignire maluerunt. Alii, qui rem accuratius expenderunt, ad *Partitionem Analogam* limitarunt.

§. 108. Ut ex fundamento res deducatur, necesse est *explicationem Termini* præmittere. *Divisionem* describunt vulgò, quòd fit *Totius in partes resolutio*: nam quod *Natura* composuit, & ex diversis rebus ad unum revocavit, id vicissim juxta illas dividi potest. *Totum* autem est, quod continet partes sibi debitas, ex quibus unitis componitur. *Partes* autem vel totam essentiam  
absol-

absolvunt, quæ constat ex *Materia* & *Forma*, vel alteram ejus partem, scil. *Materiam*, (nam *Forma* partes non agnoscit) integrant. *Plura* non sunt, nec esse possunt *Totorum genera*, nisi quæ huc analogicè revocantur. *Reliqua enim Totius Naturam & Nomen æquivocè tantùm participant*: nam *Totum*, quod dicitur *Universale*, non habet partes propriè sic dictas, sed *subjectivâs*, i.e. *Species* subjecti loco ponendas; *Perfectionale* omnino caret partibus; & *Potestativũ* potiùs accidentia, quàm partes enumerat, unde in his propriè *Divisio* locum non habet, sed tantùm in *Toto Essentiale* & *Integrali*, in quo specialiter etiam vocatur *Partitio*. In *Universali* autem, licèt agnoscant alij *Divisionem*, tamèn per hæc fundamenta propria non possunt, quia non propriè, sed æquivocè *Totum* est, unde rectiùs *Restrictio* diceretur, quàm *Divisio*, quia *partes minus habent Toto, quod junctæ complere debent*. At *Species Toti addunt, quando restringunt per additam Differentiam*. In reliquis non *distributio rei*, sed potiùs *enumeratio tantùm diversorum subjectorum, vel Accidentium, vel aliorum*; in *Æquivocis* verò *Distinctio* tantùm locum habet.

§ 109. At *Divisionem* ulterius se extendere res ipsa loquitur, nam quando *Genus per Differentias in Species* contrahitur, id *Divisionem* maximè propriè vocant *Logici*, unde per *Ampliationem* eliminanda venit *Divisionis Definitio*.

§ 110. *Divisio* inservit faciliori cognitioni, quia est *Notio secunda*. Facilitatur autem cognitio, si singula distinctè cognoscantur. At distincta cognitio fit per *partes*. Hæ ergo primò requiruntur. Deinde *Divisio* præsupponit *compositionem*, quod vel ex solo nomine liquet, quomodo enim in partes dispefectur, quod non antè ex iis sit concinnatum? 3. *Divisio* plus infert, quàm *Distinctio*. cùm ergo illa, si realis est, *membroꝝ distinctoꝝ realium diversitatem* importet, hæc *separabilitatem* addet, quæ ideo *perpetua nota est compositionis realis*.

§ 111. Cùm ergo omne verè compositum, & quodcunq; membra divisa realiter distincta & separabilia habet, *divisionem* parere possit, locum illa inveniet non modò in *Toto Essentiale* & *Integrali*; sed etiam in *gradibus intensivis & Modis Essentie*

rie & Subsistentia in finitâ. Immo quàm maximè in *Universa-*  
*libus* occurret. At cum iterum non in omnibus attendit usus  
Logicus Divisionem, velut in *gradibus & modis* dictis, itim in  
*Accidentibus & aliis*, sola illa verè dividi dicuntur, quæ partes vel  
species habent.

§ 112. Ex hisce ergo *dijunctivè* concipienda est *Definitio*  
*Divisionis*, quod sit *conceptus communioris in sua inferiora contra-*  
*ctio*, vel *Totius in partes Resolutio*. Hinc *Divisio est* vel *Totius Lo-*  
*gici* seu *Gnostologici*, vel *Physici*. Hac respectu illius in Logica  
est impropria; Illa respectu hujus ne *Divisio* quid em est, sed tan-  
tùm determinatio, quæ manet *Totum* cum addito.

§ 113. Ita constat, *quid sit Divisio in formali*, quàm ut appli-  
cemus ad Institutum; ex superioribus manifestum est, *Metaphysi-*  
*cam* ex *Objecto*, & quidem non prout in re exhibetur, verùm ex  
*diversa coram mente representatione* distribui. Illa autem non est  
*Divisio*, quia hæc est *Generis in Species*, vel *Totius in partes*.  
Nec *Partitio*, quia est tantùm *Integrum membra*. Nec *Partitio*  
*Analogâ*, (qualem si quis vellet, rectius fortean in *Principia*, *Af-*  
*fectiones & Species* dispesceret) quia & illa ad minimum mem-  
bra realiter distincta, & ante operationem mentis existentia  
deposcit, qualia hîc non inveniuntur.

§ 114. Restat igitur nil aliud, quàm *Distinctionem formalem*  
ut profiteamur: nam *Res una* est, & *diversimodè* tantùm concipi-  
tur; modò *confusè & genericè*; modò *expressius & specificè*.  
*Mens* ergo non invenit, sed facit *Distinctionem*, dum in *uno*  
*Objecto diversos sibi conceptus* fabricat, unde nec membra ab in-  
vicem sunt realiter distincta, quod est sufficiens *distinctionis ratio-*  
*nis* indicium.

115. Interim si quis ex amore venerandæ Antiquitatis, voca-  
bulo *latè & abusivè* accepto, *Divisionem* adhuc nominare ma-  
lit, huic dicam non scribimus; tantùm quomodo *Veritatis* ra-  
tione dici deberet, ostendimus, nulli dubitantes, quia *Philoso-*  
*phorum filios* proprietatem verborum in *Terminis Artium*

præ-

præprimis spectare decet, ne ad dubia, errores, controversias,  
hæreses, quæ ex hoc unico omnia nascuntur fundamento,  
tandem prolabamur, unumquemvis, cui veritas curæ cordiq;  
est, hanc antelaturum iis, quibus assuevit opinionibus, vel cur se-  
cus faciat, rationes editurum, & quod modestè peto, nos  
rectiùs in his & aliis eruditurum.

## COROLLARIA.

Metaphysicum.

*Causa Causa non est Causa Causati.*  
Physicum.

*Terra non movetur.*

Opticum.

*Non datur Eclipsis Solis naturaliter.*

Geographicum.

*Insule, quas Fortunatas vocant, non sunt  
Canaria; sed Azores, juxta Ptolomeum.*

### SOLI DEO GLORIA.

~~~~~

Juveni modesto

*Ab eruditionis & virtutis studio  
commendabili*

**D**Um vigili studio, quæ sit *Sapientia*, quæ-  
ris,

Transcendens *Physicam*, dulcis *Amice*,  
*Sapis.*

*Entis*

*Entis* in abstracto dum lustras mente re-  
cesfus,  
Omne quod est doctâ subjecis arte Tibi.  
Quod sapiis ut sapias, Ens Entis id axit; &  
illud  
disponat Musis digna brabéa tuis!

*Id animitus vover*

PRÆSES.




*Ornatisimo Literatisimoq;*  
Dn. RESPONDENTI,  
*Amico* suo Candidissimo, Sua-  
visimo, *de Natura Primæ Philoso-*  
*phiæ* disputaturo,

**A**bstrahere edoctum SAPIENTIA PRIMA coronat  
*infantes rerum Species, & tergere mentis*  
*dividiam, remoris HIC, NUNC, stipantibus, ENTIS*  
*dones ad invictum animo transcenderit arces:*  
*Hinc bene distinguit, bene jungit, & erudit, unum,*  
*abstrahere ut nôrit. Sic Te REINHOLDE juvabit*  
*abstrahere; ut Species aptè sociabis, acutè*  
*distingues; ut Te SAPIENTIA PRIMA manebit!*

*ita acclamabat.*

MATTHIAS BURCHARDI

Chiloniensis Holsatus.








mul nervosè ac breviter refellit *Clariss. D. C.*  
tamen hujus seculi Philosophi in eo conveni-  
esse in *partem Generalem & Specialem*, quæ dicitur  
*Disciplinæ*, quæ *Nomen* videatur *communis*  
incluso ubi vñ *objectu proprio*, singulis est propri-

§. 102. Hanc rem per operosam disquisitionem  
non possumus, persuasi tamen sumus, modo  
quod breviter ita evincimus. Quævis *Res*  
*tialia* dividi debet, *Essentialia* autem *Meta-*  
*Definitione* continentur, ut *Genus & Objectu*  
ter utro *Divisio* petenda. Non autem *ab ar-*  
*Causis externis* desumenda, quia illa *essentia*  
untur. *A Formâ* verò *Genericâ* desumi neque-  
indivisibiles, & hinc *Metaphysica* in se una  
cialissima *E. ab Objecto*, quia in illo varietas

§. 103. *Objectum* autem quomodo dividat  
tandum, *Divisionem* vulgò expendi *secundum*  
In *Universali vel Analogâ* sumitur à *Differen-*  
*Essentiali Physicâ à Materia & Formâ*. In *Me-*  
*Differentia*. In *Integrali à partibus integran-*  
*aliis à propriis Finibus, Subjectis, Adjunctis, &*

§. 104. *Objectum* hîc non potest attendi  
*conceptus communior*, quia (1.) confunderetur  
*âi in parte speciali* tractanda, cum *distrib-*  
*Naturam totius Metaphysicæ* explicationem  
terentur ita *Principia & Affectiones*. Nec ut  
*ficum*, quia hoc transcendit *Physicam*, nec *Ma-*  
propriè dictam agnoscit. Nec ut *Essentiale*  
*sola Objecti. Definitio* tantum tractanda incli-  
omnia removerentur, quod absurdum. Nec  
quia non habet *partes quantitativas*. Nec  
in *diversos Fines, Effecta, adjuncta &c.* dividi  
alienum foret. Unde consequitur *Objectum*  
non posse dividi. Restat ergo ut à *diversa ej-*  
*mentali* distributio petatur. *Quæ* igitur *mo-*  
*mente representatur, tot sunt ejus partes con-*



rique  
ndam  
omni-  
n, scil.  
s.  
ficare  
eniri,  
is sen-  
ua in  
um al-  
e, aut  
redi-  
e sunt  
s spe-  
it.  
ano-  
num.  
s. In  
ere &  
i. In  
ant.  
Obje-  
ne ad  
mit-  
e Phy-  
am  
ia sic  
pa o-  
rale,  
o, ut  
nimis  
t, hic  
tione  
ant.  
duo-  
bus